DISPVTATIO SEPTIMA.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Virtus Moralis, & an sit habitus intrinsecè, & essentialiter in bonum inclinans.

1 VAmvis virtutis nomen varias habeat acceptiones, propriè tam sumi solet, ut significat qualitatem quandam, quæ simul cum potentia rationali est immediatum principium bonæ operationis; unde definiri solet, quod *est habitus perficiens substantiam intellectualem, & ad bonam operationem ipsam inclinans*; etenim per particulam *habitus* denotatur genus virtutis; per substantiam intellectualem denotatur Angelus, & homo, ac potentiæ ipsorum rationales; & per ultimam particulam *ad bonam operationem inclinans* denotatur tùm effectus formalis virtutis, qui est inclinare ad bonam operationem, tùm effectus ipsius in genere causæ efficientis, qui etiam est ipsius finis scilicet, *bona operatio*. Virtutes in genere dividi solent in intellectuales, & morales, quæ divisio sumitur ex Arist. 2 Ethic. *cap.* 13. illæ ad intellectum, hæc ad voluntatem pertinent, & de his præsertim hæc instituitur Disputatio, de quibus Sententiarii agunt cum Magistro ad finem *lib.* 3. *sent.*

Vt autem pateat quid sit Virtus Moralis, & in quo eius essentia consistat notat Scotus *dist.* 17 *qu.* 2. quod non addit suprà habitum, qui est forma de genere qualitatis, nisi relationem conformitatis ad rectam rationem, unde sub lit. Z. concludit, quod Virtus Moralis formaliter & completive consistit in conformitate ad prudentiam; & infrà Q. inquit, quod coniugi prudentiæ tribuit habitui, ut est forma de genere qualitatis, esse virtutem; & ista prudentia, seù ratio recta, cui conformatur habitus, est illa, quæ dicat de omnibus circumstantiis, quæ convenire debent actui, ad quem habitus moralis inclinat, in quibus circumstantiis consistit medium virtutis; Non sufficit autem, inquit Doctor, quæcunque coexistentia & coniunctio habitus voluntatis ad prudentiam in intellectu existentem, quia potest aliquis habitus vitiosus circa aliquam materiam coexistere in eodem operante cum ratione recta, & habitu prudentiæ circà eandem materiam; sed requiritur coexistentia in simul inclinando, & simul agendo, & hoc modo habitus in voluntate motivus subordinatur habitui in intellectu, ut priori, & regulæ, & mensuræ; Vnde tandem concludit, quod virtus prout importat formam de genere qualitatis præcisa relatione conformitatis ad prudentiam non est virtus, nisi pro materiali, at sumptus cum tali conformitate, & coexistentia ad prudentiam dicitur virtus formaliter, qua ratione D. August. *lib.* 83. *quæst.* 81. virtutem moralem definit, quod *sit habitus animi rationi consentaneus*, ubi, ut patet utrumque complectitur, absolutum nempè de genere qualitatis, & conformitatem ad rectam rationem de genere relationis; & in idem recidit definitio ab Aristot. tradita 2. Ethic. *cap.* 6. quod *est habitus in mediocritate consistens, qua mediocritas ratione præfinita sit*, quod est idem, ac dicere, quod habitus iste consistit in conformitate ad rectam rationem debitas circumstantias præfinientem.

3 Hinc aliqui Scotistæ deducunt ut Vulpes *tom.* 3. *part.* 2. *disp.* 90. *art.* 6. virtutem moralem non esse ens per se unum, sed per accidens, quia est aggregatum ex absoluto, & relativo, quæ cùm sint res diversi prædicamenti nequeunt facere ens per se unum, & ideò frustrà poni habitum de prædicamento qualitatis eius genus, & conformitatem ad prudentiam veram eius differentiam; cùm enim sit unum per accidens, non potest habere nec verum genus, nec propriam differentiam, siquidem hæc duo nata sunt facere per se unum; Habitus itaque intantùm poterit dici genus virtutis, quatenus se habet, ut materiale, & potentiale quoddam; conformitas verò ad prudentiam differentia, quatenus est formale, & completivum virtutis. Hic tamen modus philosophandi non placet, non enim quotiescunque aliquid plura simul significat, & importat diversorum prædicamentorum, eo ipso dicendum est aggregatum per accidens, alioquin quodlibet concretum accidentale semper erit ens per accidens, quod tamen est falsum, quia verè definitur, in prædicamento reponitur, de ipso scientia instituitur, ac passiones demonstrantur; Tunc ergò tantum aliquid plura importans diversorum prædicamentorum dicitur verè, & propriè aggregatum per accidens, quando illa plura dicit, ut plura sunt, idest, æquè principaliter, quod si unam naturam principaliter importet, & aliam connotet; hoc non præiudicat naturæ entis per se unius, ità notavimus *disp.* 2. *Log quæst.* 6 *art.* 2. ex Scoto *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 1. & *quol.* 13 *art.* 3. & *quæst.* 8. universalium, & prædicamentorum, ac alibi frequenter. Hac igitur ratione virtus moralis dici poterit ens per se unum, quia licet importet absolutum, & relationem, non tamen illa plura importat ex æquo seù æquè principaliter, sed unum dicit principaliter, & aliud connotat; An verò principalius importet absolutum, vel respectiuum; Aristot. quid em intendum hoc, interdum illud vifus est innuere, nam cap. de Qualitate constituit virtutes, & vitia sub genere habitus, tanquam species illius, & 7. Phys. virtutes, & vitia numerat inter ea, quæ sunt ad aliquid, Scotus verò *loc. cit.* expresè contendit uirtutem pro formali consistere in illa coexistentia, & conformitate ad dictamen prudentiæ pro materiali verò formam de genere qualitatis, in qua tali s conformitas fundatur, quæ fortè poterit esse contentio de nomine, nam sive hoc, sive illo modo discurratur, nunquam virtus moralis dicenda est esse aggregatum per accidens, quia non utrmque ex æquo importat, sed unum pro formali aliud pro materiali.

His præ acceptis, est gravis difficultas, num habitus, qui est virtus, sit intrinsecè, & essentialiter bonus, ac ad bonum inclinans; 4
atque adeò virtutis essentia constituatur ex ratione habitus, & bonitate, seù conformitate dicta, tanquam ex genere, & differentia; nec possit ipse idem habitus virtutis reddi malus; seù inclinare ad malum, an potius bonitas, & inclinatio ad bonum sit accidentalis ipsi habitui, & virtus constituatur ex habitu, & hac bonitate, tanquam ex subiecto, & accidente, possitque idem habitus vitiari, & inclinare ad malum. Affirmatem quæstionis partem Thomistæ communiter defendunt, virtutem nimirum esse habitum essentialiter inclinantem ad bonum, nec posse inclinare ad malum, ità Caietanus, Medina, Valentia, Vasquez, Lorca, Montesinus, Salas, Tannerus, Lezana, Ovuiedo, & alii passim. Negantem tuetur Scotus cum suis 1. *dist.* 17. *qu.* 3. §. *quantum ad istum*, & § *ad argumenta pro quinta opinione*, quam etiam ut probabiliorem sequitur Arriaga *part.* 2. *disp.* 23 *sect.* 1. ac etiam Aversa *q.* 55. *sect.* 9. quoad virtutes morales appetitus sensitivi, & valdè probabilem censent Vasquez, & Salas, Vulpes ex nostris *disp.* 90. *cit. art.* 1. Poncius *disp.* 23. *q.* 1. & alii Scotistæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Sententia negativa præfertur.

5 HAnc partem docet Doctor *loc. cit.* dicens, eundem habirum, v.g. abstinentiæ, ut coniunctum cum ratione rectæ, seù cum prudentia, inclinare ad bonum, esseque virtutem; ut coniunctum verò cum ratione errante inclinare da malum; ideoque rationem virtutis non constituit in essentiali differentia ipsius habitus, sed in relatione coniunctionis ad prudentiam, sive in relatione conformitatis ad rectam rationem, relatione, scilicet, accidentali, & variabili. Et quidem quantum spectat ad virtutes morales appetitus sensitivi, id non videtur posse negari, quia illæ virtutes, sicut & actus earum subordinantur voluntati; & non respiciunt ex se bonum honestum, sed utile, & delectabile, & voluntas posset illarum actus imperare, & quando proponuntur ut honesti, & quando ut inhonesti; ergò virtutes illę nunc ad actum bonum inclinarent, nunc ad malum; Vnde si quis assuescat temperatè vivere, & interdum velit abstinere à cibo ob inanem gloriam, ille ipse habitus appetitus iuvabit ad facilius abstinendũ, & similiter, si comedere nollet tunc, quando præciperetur ei aliquod comedere; sic ergò habitus aliarum potentiarum à voluntate possunt ei deservire etiam ad malum; Et quo ad hanc partem Aversa *loc. c.* cõvenit cum Scoto virtutes acquisitas aliarũ potentiarũ non esse habitus essentialiter bonos, seù in bonũ inclinantes.

Secundo hoc idem probat Doctor, ac etiam eodem argumento, 6
de habitu voluntatis, quo inclinaretur ad prosequendum obiectum ex se honestum honestate obiectiva, quod nempè talis habitus ex se sit indifferens ad actum bonum, & malum, quantum ad hoc, quod posset ad utrumque inclinare, atque ideò quod non sit ei intrinseca, & essentialis ratio virtutis; probatur,

inquam, eodem argumento, quia qui assuevit orationi, & mediationi etiam sanctè, & laudabiliter, sine dubio potest interdum tales actus elicere cum circumstantia mala, quo casu essent mali, ut si vellet orare, cum teneretur infirmo assistere, & ab eodem habitu procederent; nam postquam etiam ei talis oratio ob alias causas prohibetur, eo quod ad alia attendere debet, vehementem in se sentit inclinationem ad eam orationem, ut experientia docet; ergò in tali casu ad actum malum inclinat ille idem habitus, qui anteà ad bonum inclinabat. Confirmat hanc rationem Arriaga evidenter, quia in habitibus vitiosis omnes admittunt, qui consuevit v.g. furari propter luxuriam, etiam cessante posteà eo fine, manere facilem, & propensum ad furtum; & qui affectum inhonestum ergà fœminam acquisivit ob pulchritudinem, etiam posteà hac cessante in senectute eum effectum retinere; ex quibus, & similibus experientiis infertur, omnem habitum acquisitum ità facilitare ergà obiectum formale actus, ut simul faciliter ergà obiectũ materiale, quod ille actus respicit; & quidè ità ergà materiale, ut proptior sit voluntas ad illud obiectũ materiale, etiam sub alia ratione formali, quàm si talem habitum non acquisivisset; Et ratio est, quia licet actus non ultimò, verè tamen afficitur ergà obiectum materiale, intantum quod etiam quando materiale est fine formali, adhuc habitus ille ad hoc materiale inclinat; sic qui studiis assuevit in sæculo propter vanam gloriam, mutato si ne vana gloria in alium honestum, & bonum, sine dubio propensior erit in Religione ad studia, quàm si nullum habuisset studendi habitum; ergò habitus facilitat ad obiectum materiale, etiam cessante obiecto formali, sub quo amari incæpit tale obiectum materiale; hac ergò eadem ratione habitus virtutis, qui anteà inclinabat ad tem sub motivo bono, potest posteà inclinare ad eandem cessante eo motivo, & consequenter, quando res illa est mala.

7 Respondent Adversarii, negando eum, qui prius erat in sæculo ad studendum assuetus ex inani gloria, quando posteà Religionem ingressus studiis incumbit ex bono fine, operari ex eodem habitu, sed diverso; cùm enim habitus ille prior solùm generatus sit ex actibus malis, studendi, scilicet, ex vana gloria, ideò est vitiosus, & solùm inclinat ad similes actus, & solùm potest esse principium illorum, non aliorum, qui boni sunt, & sine prava illa circumstantia, qui propterea proveniunt ab alio habitu, nempè virtutis; undè facilitas illa, quam sentit iste in eliciendo posteà actus bonos studendi in Religione, non provenit ex eo, quod mancat in illo idem habitus, qui anteà erat; sed quia per illum, eo quod esset similis ex parte obiecti materialis alii habitui virtutis denuò acquisito, manet inclinata potentia ad similes actus quantùm ad substantiam.

Hæc solutio ex doctrina allata evidenter refellitur, quia ut patet in exemplis adductis, habitus inclinat etiam in obiectum materiale secluso formali, seù mutato obiecto formali facilitat adhuc habitus ad idem obiectum materiale; ergò habitus virtutis, qui anteà inclinabat ad rem sub motivo bono, potest posteà inclinare ad eandem cessante eo motivo, & è contrà habitus inclinans ad studendum ex pravo fine, scilicet, vana gloria potest in idem obiectum materiale, nempè studium, inclinare cessante eo motivo. Tùm quia quando assuetus studiis in sæculo ex vana gloria Religionem ingreditur, & studia cum magna facilitate prosequitur ob Dei gloriam, ab initio novum habitum non acquirit statim post Religionis ingressum, & tamen adhuc in illis primis actibus studendi ex motivo honesto facilitatem sentit; & promptitudinem ad studendum; non ergò ab aliquo habitu virtuoso denuò acquisito facilitas illa procedit, sed ex antiquo, qui remansit coniunctus cum honesto motivo, & recto rationis dictamine. Demum, quod dicebatur hoc evenire quia per priorem habitum, ut potè similem ex parte obiecti materialis alii habitui virtutis manet inclinata voluntas ad similes actus quantum ad substantiam; Hoc inquam, mag s nostram confirmat sententiam, quia habitus ille, quantum est ex se inclinat ad hunc actum in specie, scilicet, studendi, vel dandi eleemosinam; sed hic actus in specie iam est bonus, iam est malus; ergò habitus iam inclinat ad actum bonum, iam ad malum, atque ita non est essentiale illi inclinare ad solos actus bonos; cùm enim actus ipsi sint indifferentes ut è bonis fiant mali, & è contrà habitus ex illis genitus non potest esse magis limitatus ad bonitatem, quàm sint actus, cùm sit eiusdem speciei cum illis.

8 Respondent alii, argumentum probare duntaxat habitum virtutis posse interdum per accidens movere ad aliquem actum malum, hoc autem non obstat, quin adhuc virtutis habitus sit essentialiter, & intrinsece bonus, ac in bonos actus inclinans. Sed Contrà, quia quando unum oppositorum convenit alicui per se, & essentialiter, oppositum nequit ei convenire, nec per se, nec per accidens, ut si homini competit per se, & essentialiter esse rationalem, non potest esse irrationalis, nec per se, neo per accidens; ergò si habitus virtutis per se, & essentialiter in actus tantùm bonos inclinat non poterit in malos inclinare, nec per se, nec per accidens. Quod si dùm dicunt essentiale esse habitui virtutis actum bonum elicere, hoc verbum non accipiant in tanto rigore, sed perindè ac si dicat, magis connaturale, & magis intrinsecum, iam in hoc sensu non est idem, posse per accidens inclinare ad malum, & ex natura sua, & per se ad illud inclinare; neque in hoc sensu negare intendit Scotus aliquos habitus esse essentialiter virtutes; nam actus orationis per se, & connaturaliter est bonus, sic etiam actus studii, & eleemosinæ, & connaturaliter petunt fieri ob bonum finem, & consequenter habitus ad eiusmodi actus inclinantes poterunt in hoc eodem sensu dici per se & essentialiter virtutes, quatenus connaturaliter petunt movere ad illos actus ex fine honesto; undè etiam eis habitibus est quasi accidentarium posteà inclinare ad illud materiale, quando habet alium finem non bonum, & magis connaturale est ad bonum inducere; ità expresè Doctor 1. *dist.* 17. *q.* 2. §. *ad argumenta pro quinta opinione* ubi ait, quod habitus abstinendi generatus ex actibus factis ex ratione erronea semper quantum est ex se natus est esse conformis prudentiæ, si hæc adesset; Solùm ergò voluit Scotus habitum moralem non esse ità virtutem, quin possit aliquando sivè per se, sivè per accidens inclinare ad actum malum, & tunc amittere eam virtutis denominationem, quod rationaliter negari posse non videtur.

Respondet tandem Salas *quæst.* 55. *tract.* 11. *disp.* 1. *sect.* 2. in fine ad hæc, & similia argumenta evitanda statui posse duo habituum genera, quosdam, qui sint essentialiter virtutes; alios verò accidentaliter; & in propio genere collocari posse, qui moraliter loquendo malum actum elicere non possunt, nisi ratione erroris culpabilis, eo quod moraliter loquendo non possunt versari circà obiecta prohibita, aut affecta aliqua mala circumstantia, in alio autem genere collocari posse habitus, qui secundum totos, aut aliquas partes, & rationes respiciunt obiecta, quæ moraliter loquendo prohiberi possunt, vel malam aliquam circumstantiam habere; hi enim quando obiecta sunt prohibita, vel cum mala aliqua circumstantia, sunt mali, alioqui verò sunt boni. Verum quando hoc totum concederetur, saltem ex hoc haberemus, non esse universaliter, verum, quod habitus virtutis moralis sit essentialiter, ac intrinsecè bonus, & in actus bonos inclinans; Sed iam ulterius offendo neque habitus prioris generis posse dici essentialiter, & intrinsecè bonos, sivè in bonum inclinantes.

Tertiò itaque hoc idem probatur de habitu virtutis respectu 10
actuum, qui dicuntur ex obiecto intrinsecè boni; potest enim talis habitus movere saltem ad actum formaliter non bonum; ex defectu libertatis, licet alioqui materialiter bonum; nam facilè contjngit elici actum virtutis absque deliberatione, & libertate, quare cum de essentia actus boni, vel mali sit libertas, talis actus non esset formaliter bonus in genere moris; ergò neque habitus primi generis per se, & essentialiter inclinat ad actum bonum in genere moris, sed movere etiam potest ad actum non bonum. Imò Arriaga loc. cit. contendit posse habitum primi generis movere ad actum positivè malum, quia etiam illi actus circà talia obiecta non sunt intrinsecè ità boni, ut non possint saltem extrinsecè reddi mali, nam præcisè ex reflexa prohibitione potest aliquis actus; talis ex obiecto intrinsecè bonus transire in malum, ut si quis habeat v.g. consuetudinè eliciẽdi desiderium beatitudinis ob honestatẽ in beatitudine conceptã, & diceret illis Deus, *mando tibi, ne eos hodie elicias*, hunc enim actum saltẽ titulo dominii sui mihi hic, & nunc prohibere potest; certè in hoc casu non aufertur beatitudini suas honestas, eo quod non possim hic, & nunc illam amare; ergò ex hoc capite adhuc habet habitus ille quicquid amabat anteà per suũ actum, ergò tunc poterit inclinare ad illũ actum, atqui ille tunc est malus ex prohibitione; ergò potest habitus quoq; primi generis, qui anteà ad bonũ nunc ad malum inclinare, & quidẽ talis actus adhuc esset ex obiecto suo bonus, & consequenter retinere posset totam rationem motivam ex parte obiecti, licet aliundè esset simpliciter malus; ergò tunc habitus, qui actum illum producit, inclinaret eodem modo physicè, sicut anteà, quia habitus solùm inclinat ad actum ratione illorum, quę actus appetit ex parte obiecti, & in hoc casu non mutatur nec obiectum materiale, neque formale, permanet namque eadem honestas ex parte beatitudinis desideratæ, non enim, ut dicebam, ei aufertur honestas sua in trinseca ex sola, & simplici prohibitione reflexa.

Quartò tandem probatur ratione, veluti à priori, quod 11
non possit habitus virtutis inclinare per se & ex natura sua ad debitas circumstantias secundum rectam rationem; medium virtutis moralis est præfinitum à ratione ex 2. Ethic. ergò ad illud non potest habitus ex natura sua inclinare; consequentia probatur, nam quod potest habitus ex natura sua, potest separato quocunque alio, quod non includitur in natura sua; ergo seclusa ratione, quæ non est de natura habitus, adhuc posset inclinare in medium virtutis, quod est falsum, cùm

non detur tale medium sine ratione recta; ergò si habitus inclinat ad medium, quod est optimum, ideò inclinat, quia coexistit rationi rectæ, & non ex natura sua.

Respondet Vasquez *part.2.disp.84.c.2.* virtutem, ut sic inclinare potentiam ad virtuosè agendum iuxtà regulam rationis cum omnibus circumstantiis faciliter, & delectabiliter; cùm verò non existit talis regula dirigens, cessare actionem virtutis, & prædictum effectum retardari. Sed Contrà, quia vel cessante regula dirigente manet essentia virtutis, vel non; si secundum, iam habetur intentum, quod manet habitus idem numero in sua absoluta entitate sine formalitate virtutis; si primum, iam non cessaret virtutis actio, cùm virtus sit principium naturale agens quantum potest secundum ultimum suæ potentiæ: Ait Vasquez manere essentiam virtutis solùm in actu primo, quia in actum secundum exire nequit sine regula dirigente, quæ necessario requiritur tanquam conditio sine qua non contingit virtuosè operari. At contrà benè replicat Vulpes, quia vel habitus temperantiæ ex natura sua inclinat ad abstinendum virtuosè cum omnibus circumstantiis, vel id solùm habet formaliter à regula rationis, tanquam à complemento virtutis; si secundum, habetur intentum; si primum, ergò sola propositio materiæ temperantiæ sufficit ad actum virtuosum eliciendum sine regula rationis; probatur hæc consequentia, quia conditio sine qua non fit actio, vel se tenet ex parte agentis, ut principium agendi sit singulare, quæ dici solet conditio agentis, vel se tenet ex parte approximationis agentis ad passum, quæ dicitur conditio agendi; sed regula rationis neutro modo in casu posito concurrit; non quidem primo modo, nempè ut conditio agentis, quia habitus virtutis iam inhærere supponitur voluntati operantis in se subsistentis, vel existentis; neque secundo modo, quia passiuum, quale est in casu sola materia virtutis temperantiæ, potest ab intellectu apprehendi, & voluntati proponi sine ipsa regula rationis, vel recto iudicio practico eiusdem intellectus; ergò existeret virtus, & actio eius in voluntate sine regula rationis, quod universi Philosophi negant.

12 Postremò hanc ipsam veritatem fatetur ipse Diuus Thomas *q.38.art.2.* in corpore, ubi ait, intantùm habitum moralem habere rationem virtutis, inquantum rationi conformatur, quibus verbis significat habitum absque tali conformitate esse solùm materialiter virtutem, non formaliter, compleri verò in ratione virtutis ipsa superveniente; Vndè sicut tota bonitas moralis actus consistit in solo respectu conformitatis ad regulam rationis; ità tota essentia virtutis in habitu consistit in eodem respectu ad eandem regulam rationis, atque ita sicut actus secundum entitatem suam absolutam in genere naturæ potest de bono fieri malus, & è contrà in genere moris, ut dictum *lib.2. disp.5.de Actibus humanis n.183.* ità servata proportione suo modo dicendum erit de habitu, cum habitus nequeat esse magis ad bonitatem limitatus quàm actus ex quibus generatur. Quod si dicas, multorum actuum obiecta esse intrinsecè bona, ergò habitus inclinantes ad actus circà ea obiecta erunt etiam essentialiter boni.

13 Ad hoc iam dixi, illos actus circà ea obiecta non esse ita intrinsecè bonos, quin possint reddi mali saltem extrinsecè ex prohibitione reflexa, quam posset facere Deus titulo dominii sui; Vel si mali reddi non possunt, tamen saltem non boni fieri possunt in genere moris ex defectu deliberationis, & libertatis, & sicut hoc sufficit ad ostendendum bonitatem moralem esse omnibus actibus accidentalem; etiam iis, qui intrinsecè boni dicuntur ex obiecto, ut dictum est *disp.cit.* de Actibus humanis; ita pariter id sufficiet in præsenti ad ostendendum bonitatem moralem esse accidentalem habitibus in eos actus inclinantibus; Quod si tandem quis contenderet, saltem habitus inclinantes ad actus circà ea obiecta esse essentialiter bonos. Hoc etiam admisso, adhuc Adversarii intentum non haberent, quia licet consequentia bona esset de quibusdam habitibus, non tamen de omnibus in universùm, ut ipsi loquuntur; Vndè potius hoc admisso inter duas sententias, quas hactenus tractavimus, media quædam statuenda esset, ut, scilicet, quidam habitus sint essentialiter virtutes, ac intrinsecè in bonum inclinantes, alii verò accidentaliter tantùm, quam mediam opinionem Salas *loc.cit.* existimat probabiliorem. Ad quam tamen non cogimur astruendam, nam etiam habitus illi non in alio sensu dici possunt essentialiter virtutes, nisi sumendo verbum *essentiale* prout idem significat, quod magis connaturale, & magis intrinsecum, ut suprà dictum est *n.8* & adhuc magis constabit ex obiectionum solutione *art seq.* Quamvis Oviied. *part.2.tract.3.controvers.2.punct.2.* primam sententiam adeò tenaciter defendat, ut neque hanc mediam admittere velit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Obiectionum Solutio.

IN oppositum obiicitur Primò ex Arist.2.Ethic.*c.6.* habetur, quod virtus est habitus, à quo bonus efficitur homo, & opus eius reddit bonum. Deindè 6.Ethic.*c.3.* reiicit Aristot. habitum opinionis, & coniecturæ à ratione virtutis intellectivæ, quia opinio potest inclinare in falsum; ergò pariter si quis habitus voluntatis potest inclinare ad malum non erit virtus moralis non enim minus essentialiter virtus moralis respicit bonum, & honestum, quàm intellectualis verum. Tandem nisi appetitus ex natura habitus esset habituatus, & per modum naturæ determinatus verbi gratia ab abstinendum propter bonum rationis tunc appetitus non esset ex tali habitu factus quasi naturaliter obsequens rationi, & sic habens habitum temperantiæ haberet appetitum adhuc repugnantem contra rationem circà materiam talis virtutis, quod est contrà Arist. 2. Ethic.

Respondetur, quod virtus pro materiali est habitus, à quo homo efficitur bonus, & opus redditur bonum, non ex natura talis habitus, sed quia in causando coexistit prudentiæ simul inclinanti, ut ait Doctor 1.*dist.17.q.2.* sub Aa. Ad 2. ideò Arist. habitum opinionis negavit esse virtutem intellectualem, quia imperfectè inclinat ad verum nam quantum est ex parte sui motivi, quæ est ratio probabilis, & ex natura medii, cui innititur, potest illi subesse falsum; At verò habitus inclinans ad abstinendum propter bonitatem obiectivam abstinentiæ perfectè inclinat ad bonum, quando concurrunt conditiones aliæ superius positæ, ideò verè est virtus, estò ex defectu alicuius illarum conditionum possit deponere, & ammittere rationem virtutis. Ad ultimum negatur consequentia, quæ utique, teneret quando habitus abstinentiæ nullo modo inclinaret ad abstinendum propter bonum rationis, at iuxtà Scoti doctrinā licet habitus abstinentiæ ex natura sua non inclinet, nisi ad actum in se; tamen ex consequenti inclinat ad actum, quia fit conformis rationi rectæ, si recta ratio insit operanti; & ità appetitus fit quasi naturaliter obsequens rationi per habitum, non quidem ex natura habitus, sed ex consequenti, quia, scilicet, propter habitum generatum ex actibus conformibus rectæ rationi, ex consequenti inclinatur ad actus, qui sunt conformes rationi rectæ.

Secundò obiicitur; quia habitus temperantię genitus ex actibus elicitis secundum rationē erroneam, si posset fieri virtus moralis non mutatus in se; tunc aut inclinaret ad actus similes prioribus, aut dissimiles, non secundū, ut patet, ergò ad actus similes sed similes sunt vitiosi, ergò virtus inclinat ad actus vitiosos.

Confirmatur, quia actus ad quem inclinat talis habitus, aut est ad medium, aut ad extrema; si ad medium, ergò secundum se est vera virtus moralis; si ad extrema, ergò est vitium, vitium autem nunquàm transit in virtutem, quia virtus, & vitium sunt opposita, & contraria in Postprædicat. cap. de oppositis. Demum, omnis actus virtutis fit ex dictamine prudentiæ, ergò omnis habitus virtutis prudentiam includit; at quando adest peccatum, non potest esse prudentia; ergò quando fiunt actus virtuosi, operari non potest antiquus ille habitus, sed alter de novo genitus.

Respondetur, quod eo casu inclinaret ad actus similes prioribus in specie naturæ, non in specie moris, eo quod non variaretur habitus quoad esse naturæ, sed solùm quoad esse moris, nam habitus coexistens in causando cum ratione erronea variatur, quoad esse moris, si coexistit posteà cum prudentia in causando; ideò prius inclinabat ad actus malos, deindè ad actus moraliter bonos; & hoc non ex natura habitus, sed ex consequenti, quia, scilicet, in causando coexistit cum prudentia.

Ad confirmationem, dico, quod habitus coexistens rationi erroneæ inclinat ad extrema, coexistens verò rationi rectæ inclinat ad medium eo modo, quo declaratum est: Et cùm dicitur vitium in virtutem non transire, verum est de vitio, & virtute actuali, non habituali; & de habituali etiam est verum, si habitus sit genitus ex actibus, qui non possunt nisi malè fieri; pro quo sciendum, quod sicut dantur actus, qui nunquam possunt benè fieri, sed ità mali sunt, ut semper in ipsis peccare sit necesse ut dicit Arist.2. Ethic. cap.3. ità etiam dantur actus, qui possunt benè & non benè fieri, & sunt illi, qui mediocritatem admittunt, qui si fiunt cum debitis circumstatiis, benè fiunt, si verò fiant sine illis, non benè fiunt, & idem dicendum de habitibus, quia ex similibus actibus similes generantur habitibus; Quando autem contingit habitum virtutis inclinare ad malum, hoc est quia anteà inclinabat ad rem sub motivo bono, & posteà inclinat ad eandem cessante eo motivo, non propterea debebit simpliciter habitus illi vocari vitiosus, vel vitium, nam vitium proprie loquendo significat habitum ex natura sua,

hoc

hoc est, connaturaliter inclinantem ad malum; si igitur oratio fiat interdum per accidens mala, si nimirum ob eam homo negligat infirmum, & eleemosinam, si indè familiæ necessaria subtrahantur, habitus orandi, vel eleemosinam faciendi non ob id vitia dici debent, vel habitus vitiosi, quia habitus illi connaturaliter petunt finem bonum, & magis connaturale est eis ad bonum inducere, ut explicatum est *n.8.* sed potius dici debent habitus vitiati per accidens ex malo fine adiuncto, aut alia prava circumstantia; Ad ultimum, cum dicitur, quod omnis habitus virtutis includit prudentiam, verum est reduplicativè loquendo, quia talis, seù qua virtuosus; non verò specificativè, ut nimirum est talis physicæ entitatis ob rationes allatas.

16 Tertiò obiicit Aversa, & est præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, quia ad bonitatem, & honestatem actus requiritur, ut voluntas per se intendat ipsam honestatem; actus autem, quo voluntas amat honestatem obiecti est essentialiter diversus ab aliis actibus, etiam iis, quibus appeteret idem obiectum ex alio motivo, actus enim voluntatis maximè specificantur ex ea ratione, quam formaliter; & per se in obiecto attingunt; Sed sic est, quod per actus, quibus voluntas intendit honestatem, acquiritur habitus inclinans ad appetendum obiectum formaliter, ut honestum; per alios verò actus; quibus voluntas appetere potest idem materiale obiectum ob aliam rationem motivam v.g. iucunditatis, acquiritur alius habitus essentialiter diversus inclinans ad amandum tale obiectum, quatenus iucundum; ex ea enim diversitate obiecti formalis, & actuum, maximè debent habitus distingui; Virtus autem est, quæ inclinat ad amandum obiectum formaliter, ut bonum honestum; ergò virtus voluntatis essentialiter inclinat ad bonum; & ita bonitas, per quam virtus constituitur, ex differentia essentialis contrahens habitum in communi, ac distinguens essentialiter virtutem à non virtute.

17 Respondetur, quando dicitur in maiori, actum, quo voluntas amat honestatem obiecti, esse essentialiter diversum ab aliis actibus etiam iis, quibus appetitur idem obiectum ex alio motivo; hoc verificatur tantum in specie moris, non autem in specie naturæ, nam actus, quo afficior ergà studium ob inanem gloriam, est idem in specie naturæ cum eo, quo ergà studium afficior ob honestum finem; licet sit diversus in specie moris; Et ratio est, quam suprà innuimus *num.6.* quia licet actus non ultimò tendat in obiectum materiale, sed formale; verè tamen afficitur ergà obiectum materiale, adeout etiam mutato formali obiecto, adhuc perseveret affectus circà obiectum materiale, quod sufficit, ut actus illi, quatenus idem obiectum materiale attingunt, dicantur eiusdē speciei in esse naturę, licet ex diversis motivis, & obiectis formalibus diversificentur in genere moris, & sic pariter dicendum est de habitibus, quia ex similibus actibus similes habitus producuntur, Et quando etiam argumentum convinceret in casu, quo voluntas appeteret idem obiectum materiale ob aliam, & aliam rationem motivam, tamen in casu, quo idem appeteretur obiectum, & ex eodem formali motivo, ut urget tertia ratio pro nostra sententia adducta *n.10.* argumentum nihil prorsus urget, quia tunc non variatur actus de bono in malum ex diversis motivis, sed immutata honestate ex parte obiecti motivi, tunc actus precisè ex reflexa prohibitione transit è bono in malum, & tunc habitus, qui illos actus producit esset omninò idem, & eodem modo inclinaret, ac anteà, quia habitus solùm inclinat ad actum ratione illorum, quæ actus appetit ex parte obiecti; atqui ille actus tunc est malus ex reflexa prohibitione, ergò in eo casu idem omninò habitus, & eodem modo in genere naturæ inclinaret, essetque sola diversitas in genere moris. Et cum dicebatur, quod virtus inclinat ad amandum obiectum formaliter, ut bonum honestum, atque ideò essentialiter inclinat ad bonum. Jam suprà dictum est hoc esse verum loquendo de virtute reduplicativè sumpta, ut nimirum includit coexistentiam ad rationem rectam, sive prudentiam, non verò quatenus dicit habitum de genere qualitatis, sic enim non ex natura sua, seù essentialiter inclinat in bonum sed tntùm ex consequentia, & concomitanter, quatenus, scilicet, in causando coexistit cum prudentia.

18 Quartò obiicitur, habitus qui est virtus, essentialiter habet non posse sequi, nisi rationem, & prudentiam; ergò essentialiter est virtus, & non ex accidenti, seù ex actuali coniunctione cum prudentia, consequentia probatur, quia habitus, qui ex se habet non posse declinare à dictamine prudentiæ, ex se, & essentialiter est virtus.

Confirmatur quia ex coniunctione ad habitum prudentiæ, vel imprudentiæ, virtus in voluneate existens suam inclinationem non mutat, ergò non mutatur de non virtute in vitium, vel in non virtutem, aut è contrà. Denique omnes habitus virtutum infusarum appetitivi sunt essentialiter boni, & virtutes; ergò, & omnes, vel saltem aliqui habitus virtutem acquisitarum similes enim sunt in hoc habitibus infusis.

Respondeo, assumptum esse verum, si habitus, qui est virtus, sumatur ut talis reduplicativè; si verò sumatur specificativè tantùm, non est verum sumendo ly *essentialiter* in rigore, sed tantùm prout idem significat, quod connaturaliter iuxtà dicta *num.8.* in hoc, inquam, sensu verum est, habitum, qui est virtus, non posse connaturaliter sequi, nisi rationem, & prudentiam, qua ratione inquit Doctor *disp. 17. quæst.2.cit.lit.*Z. habitum abstinendi generatum ex actibus factis ex ratione erronea semper quantum est se natum esse conformari prudentiæ, si hæc adsit; & sub lit. Q. inquit, quod actualis coniunctio cum prudentia tribuit habitui, ut est forma de genere qualitatis, esse virtutem, quando iste habitus ex natura sua natus est esse conformis prudentiæ, in hoc autem sensu concesso antecedente, non benè deducitur consequentia cum eius probatione, nam licet oratio sit connaturaliter bona non tamen dici potest essentialiter bona, eo ipso, quod uno casu possit esse mala, quando enim aliquid est essentialiter tale in rigore, oppositum nequit ei competere nec per se, nec per accidens, quod punctum valdè hic necessarium advertit etiam Arriaga *disp. 33. sect.1.num.15.*

Ad Confirmationem ex eadem doctrina dicendum est, habitum virtutis utique ex coniunctione ad imprudentiam, vel rationem erroneam suam inclinationem non mutare habitualem, & radicalem, & ideò nunquam de virtute potest in vitium verti, vel mutari, ut dictum est num. 15. potest tamen mutari in non virtutem, & denominationem virtutis ammittere; & ratio est, quia coniunctio aptitudinalis in simul inclinando cum prudentia, licet sufficiat, ut habitus dicatur virtus pro materiali, non tamen sufficit ad formalem, & completivam rationem virtutis; sed ulterius requiritur actualis coniunctio cum prudentia, vel dictamine recto, non quidem in simul agendo, alioquin ut inquit Doctor sub lit. Q. nihil agens nullam haberet virtutem; sed requiritur actualis coniunctio in simul inclinando, ut subdit infrà Z. quæ etiam doctrina est hic valdè notanda.

Ad ultimum negatur assumptum, quia ut patebit ex infrà 19
dicendis, virtutes per se infusæ sunt tantùm tres theologicæ, quarum tres assignat conditiones Doctor 3. *dist.* 26. sub F. prima est Deum respicere pro primo obiecto; altera est habere pro regula primam regulam humanorum actuum, qui est Deus, non autem acquisitam; tertia tandem immediatè à Deo infundi, sicut à causa efficiente, ex quo patet spem, & charitatem, quæ sunt virtutes infusæ appetitivæ non tantùm importare habitum absolutum, sed etiam pro formali includere conformitatem ad suam regulam, qualitatem verò absolutam esse connotatum, suprà quod talis conformitas fundatur; Dices, ergò etiam talis habitus infusus indifferens erit ad eliciendum actum bonum, & malum, ut Scotus asserit de acquisitis. Negatur consequentia cum Vulpio, quia habitus infusus nequit mutari, nisi per mutationem regulæ rectæ in obliquam; deficiente autem hac regula, quæ est fides infusa, vel Deus sub illa, non amplius conservatur absolutum spei, & charitatis; siquidem per erroneum iudicium credibilium virtutes omnes infusæ demeritoriè corrumpuntur pro formali, & materiali ex Scoto 4.*dist.1.q.1.* ad argumenta principalia; Imò neque Scotus asseruit unquam habitum virtutis acquisitæ indifferentem esse ad eliciendum actum virtutis, & vitii, imò semper inculcat, quod habitus iste ex natura sua semper aptus est, esse conformis prudentiæ, si hæc adsit, & aptitudinaliter inclinat ad opus virtutis, & solùm per accidens ex coexistentia ad dictamen erroneum, ac merè concomitanter inclinare ad actum malum.

Quintò tandem obiicitur, virtutem moralem formaliter, 20
& essentialiter importare habitum de genere qualitatum, non autem relationem conformitatis ad prudentiam; nam Arisd. in prædicam cap. de Qualitate constituit vitia, & virtutes sub genere habitus, tanquam species illius, & 2. Ethic definit virtutem per habitum electivum, ubi etiam *cap. 5. & 6.* docet habitum esse genus respectu virtutis, utique formaliter sumptæ, alioqui nunquam explicuisset genus virtutis formaliter sumptæ; non ergò virtus formaliter constituitur per relationem illam coniunctionis cum prudentia; sed ratio formalis ipsius ad genus qualitatis pertinet.

Confirm. quia virtus moralis cum potentia effectivè concurit ad productionem actuum bonorum, at hoc munus solus habitus de genere qualitatis exercere potest, nulla enim relatio prædicamentalis est per se principium activum, qua ratione dicitur de genere sterilium. Denique virtutes ponuntur, ut potentias rationales ex se indeterminatas determinent ad agendum virtuosè, at hæc determinatio ad unum fit per solùm habitum, non per relationem, ergò uirtus essentialitere est habitus.

Respondetur, virtutem pro materiali in prædicamento 21
qualitatis reponi, & esse illius speciem, & connotativè per habitum definiri, sicut accidens per subiectum definiri solet. Ad confirmationem ait Doctor 17.*dist.2.quæst.2.lit.* Q. nullam

cau-

causalitatem habere virtutem in actum, nisi ut est talis qualitas naturalis, & ad illum actum in se inclinar habitus ex natura sua, ad bonitatem verò ex consequenti, quatenus in causando coexistit prudentiæ; itaquod quatenus prudentiæ coniungitur, natus est esse causa secunda quasi directa à prudentia respectu effectus communis amborum; ut autem est sine prudentia, non potest esse causa secunda respectu eius; sed adhuc quando est causa secunda respectu prudentiæ, ait causalitatem propriam sibi convenientem in suo ordine causandi ex hoc præcisè habere, quod est talis forma, vel qualitas, non autem per respectum conformitatis, vel coniunctionis ad prudentiam; Quam solutionem amplius declarat infrà §. *ad argumenta alia adducta pro quinta opinione*, quod istæ duæ causæ simul concurrentes ad actum eliciendum possunt ei tribuere bonitatem moralem, quam non posset ei tribuere solus habitus moralis, si esset sine prudentia, vel sine ratione recta; siquidem tribuere moralem bonitatem est tribuere conformitatem ad rationem rectam, & hoc tribuit qualitas illa, non ex hoc, quod qualitas solùm, sed quia in causando coexistit prudentiæ simul inclinanti. Ad ultimum, dicendum quod habitus secundum se consideratus determinat potentiam ad talem actum in se in specie naturæ, & ex consequenti etiam, seù concomitanter determinat potentiam ad actum bonum in specie moris, quatenus in causando coexistit cum prudentia, ut sæpè dictum est.

32 Dices, virtus, & vitium, sicut etiam scientia, solent appellari relativa secundum dici, non verò secundum esse; ac relativa secundum dici pro formali absolutum important, relationem verò pro materiali tantùm, & pro connotato; & per hoc distinguuntur à relativis secundum esse, ut constat ex logica; ergò virtus pro formali, & essentialiter importat habitum, non verò relationem conformitatis ad prudentiam.

Respondeo, quod etiamsi iuxtà hunc dicendi modum virtus moralis principaliter importet relationem conformitatis ad prudentiam, & scientia conformitatem eius ad scibile, adhuc bene salvatur, quod virtus, & scientia sint relativa secundum dici, non vero secundum esse; nam iuxtà explicationem datam huius divisionis relativorum *disp. 8. Logic. quæst. 1.* in fine, relativa secundum esse dicuntur, quæ secundum eorum essentiam, ita ad aliud referuntur, ut nihil præter ordinem ad aliud de ipsis formaliter acceptis intelligere possimus, sic pater refertur ad filium, servus ad dominum, quia sub ratione Patris aliud intelligere nequimus, nisi quod ad filium refertur; & licet fundamentaliter, & connotativè insinuet subiectum, hoc non facit eà ratione, qua pater est, sed qua accidens concretum est: At virtus, & scientia, etiamsi de principali significato, & pro formali prædictos conformitati respectus præferant; adhuc ulterius absolutum connotant de genere qualitatis, nempè habitum, non ea ratione generali tantum, qua accidens concretum respicit subiectum, sed etiam ratione speciali, qua talia accidentia sunt; undè illud absolutum de genere qualitatis connotant, non tantùm sub nomine concreto, sed etiam sub nominibus abstractis virtutis & scientiæ; qua ratione adhuc relativa secundum dici debent appellari, etiamsi pro formali relationem dicant, quia relativa secundum esse sub hac ratione speciali absolutum non connotant.

QUÆSTIO SECUNDA.

An præter Theologicas Virtutes dentur alia morales per se infusa.

33 VIrtutes nullo modo inesse nobis à natura secundum propriam earum formalitatem fatentur omnes, nedùm Theologi, sed etiam Philosophi, undè constanter afferunt duas tantum causas earum efficientes assignari posse, nempè Deum per infusionem, & exercitium, seù consuetudinem; ex quo duplicem distinguunt virtutem, scilicet, infusam, & acquisitam. Constans autem est omnium Theologorum opinio, præter virtutes morales acquisitas esse quasdam alias à Deo infusas, nimirum fidem spem, & charitatem, quas appellant Theologicas, & hoc expresse docet Concil. Trid. *sess. cap. 7.* ubi dicitur. *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia infusa simul accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur fidem spem, & charitatem*, undè hoc, tanquam dogma fidei supponere videtur Doctor *3. dist. 34. qu unic. §. his suppositis*. Quare sola remanet quæstio, an præter virtutes theologicas, & morales acquisitas sint aliæ morales suapte natura infusæ, & supernaturales, bifariè enim potest dici aliqua virtus infusa, primò ut suaptenatura postulet à solo Deo infundi, & à nulla causa creata possit produci, ac proindè nec per actus, nec per exercitationem nostram possit acquiri; & huiusmodi virtutes dicuntur per se infusæ hoc est, natura sua postulantes à solo Deo infundi, ut à propria causa, quales in omnium sententia sunt fides, spes, & charitas; secundò potest dici aliqua virtus infusa per accidens, & non natura sua, & huiusmodi possunt esse omnes virtutes, quæ natura sua dicuntur acquisitæ, eo quod possunt ex accidenti à Deo infundi, & communicari, quo pacto dicunt Theologi, omnes habitus scientialis, & virtutes omnes Christo Domino, ac etiam primo parenti in statu innocentiæ antè exercitationem, & consuetudinem fuisse infusas: Cùm ergò quæritur in præsenti, an admitti debeant virtutes morales à Deo infusæ præter theologicas, & morales acquisitas, sermo est de virtutibus per se & suapte natura infusis, non autem de infusis per accidens.

34 In hac verò celebri controversia duæ sunt sententiæ, una affirmativa, altera negativa. Prima est communis Thomistarum asserentium præter virtutes Theologicas admittendas esse virtutes quoque morales per se infusas ordinis supernaturalis essentialiter diversas ab acquisitis purè moralibus, ità cum D. Thoma *quæst. 63. art. 3. & 4.* sentiunt Caietanus, Capreolus, Medina, Conradus, Valentia, Suarez, Vasquez, Salas, Lorca, Ovviedo, Curiel, Montesinum, Granado, Lezana, Aversa, Tannerus, Arriaga, & alii Recentiores passim, quam sententiam aliqui adeò certam censent, ut oppositam dicant esse erroneam, ut Capreolus, alii esse contrà definitionem Ecclesiæ; ut Conradus, alii temerariam, ut Medina, & de quibusdam virtutibus rem esse de fide; alii tandem communiter dicunt rem hanc ad fidem non spectare, sed solùm esse probabiliorem Theologorum sententiam. Opposita sententia negat huiusmodi virtutes morales per se infusas, & à theologicis, ac moralibus acquisitis essentialiter diversas, ita Scotus 3. *dist. 36. qu. un.* & Scotistæ omnes, tam vetere res, quam Recentiores, Bassolius, Lichetus, Tataretus, Aterinus, Poncius, Vulpes, & alii; Item Henricus, Ocham, Durandus, Gabriel, Rubion, Argentina, Almainus, & alii Nominales.

ARTICULUS PRIMUS.

Sententia negans eligitur.

HAnc tenet Doctor *3. dist. 36. cit. art. 3.* ubi *lit. O.* inquit, quod licet de istis virtutibus moralibus multa dicantur, scilicet, quod videntur necessariæ propter modum, medium, & finem; quia tamenen omnis finis, quem non possunt habere ex specie sua determinatur sufficienter ex inclinatione charitatis; modus autem, & medium determinatur per fidem, infusam, ideò non videtur necessitas ponendi virtutes morales infusas; sed acquisitas tantùm in his, qui habent eas acquisitas, vel habere possunt, nec etiam in aliis, qui, scilicet, non possunt eas acquirere propter defectum usus liberi arbitrii, quia non est maior ratio, quare isti debeant habere, & non illi; ità Doctor ibi, quem sequitur omnes eius discipuli, sed aliqui probant rationibus parum efficacibus, ac proindè alij probant, quia opposita sententia nec ex Scripturis, nec ex Patribus, nec ex Ecclesiæ definitione, nec ratione ulla efficaci probatur, quod ostendunt singula solvendo quæ ab Adversariis adducuntur; Præstat tamen cum Vulpio nostro *tom. 3. part. 2. disp. 18. art. 3.* eam non tantùm negativè probare, eo quod non sint multiplicanda entia sine necessitate, sed etiam positivè stabilire ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & rationibus.

Primò itaque probatur ex Scriptura, etenim Apostolus 1. Corinth. 13. longo discursu probat actus cæterarum virtutum moralium etiam in Deum relatos, non tamen ex habitu inhærentis, & sanctificantis gratiæ, vel charitatis, nihil prodesse ad Deo placendum, & vitam æternam promerendam. *Si linguis hominum loquar, & angelorum; si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas; si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: è contratio autem solam charitatem sufficere ostendit ex illius eminentia, qua potest cæteras omnes virtutes supplere, vel sola eorum actus ad supernaturalem finem meritoriè ordinare, *Charitas patiens est, non æmulatur, non agit perperam &c. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet &c.* ergò ex Scriptura patet præter virtus theologicas infusas, superfluas esse alias morales per se infusas, quas dicunt Aduersarii necessarias esse ad supplementum supernaturalis perfectionis per illas tantùm inchoatæ, & per istas complectæ; per quod planè dictum auferunt eminentiam charitatis super omnes morales virtutes cum omnibus suis attributis ab Apostolo enumeratis. Idem ex Sapientiæ 1. deducitur, ubi habetur *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*, & nomine sapientiæ ex communi sententia, & præsertim Scoti 3. *dist. 34.* sub O. significatur charitas infusa, quæ est sapientia, quæ sapit mihi Deus in se, & qua sapit mihi, ut bonum, quatenus eius obiectum Deus eminenter, & virtute continet omnia bona, qua ratione meritò dicit *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, &c. quia charitas ratione sui obiecti eminenter, & virtute continet honestatem totam cæterarum virtutum; ergò superfluæ sunt virtutes morales per se infusæ

præcipuè ad complementum supernaturalis perfectionis, ut aiunt Adversarii, siquidem per solam charitatem hæc plenissimè consumatur.

37 Respondent Adversarii ex hoc ultimo loco potius oppositum deduci, quia locus ille potest sic intelligi, ut simul cum divina sapientia, quæ tunc venit in animam, eamque inhabitat, cùm homo iustificatur, veniadt omnes virtutes, & omnis honestas, quod optimè de virtutibus, quæ in iustificatione infunduntur, verificatur, & hæ virtutes dici debent per se infusæ, essentialiter ab acquisitis diversæ; Quod etiam confirmant ex alio loco ad Galatas 3. *Qui tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis*, ubi per Spiritum potest intelligi gratia sanctificans, quæ omniùò est donum habituale permanens in anima; Et cùm Apostolus coniugat Spiritum, & virtutes, videntur intelligendę virtutes, quas Deus simul cum gratia infundat, non solùm virtutes theologicæ, sed omnes virtutes in omni materia, hunc enim sensum universalem reddit modus ille loquendi absolutus.

38 Hæc tamen expositio est prorsus voluntaria, cùm æquè benè, imò longè melius multiplicitas illa bonorum nobis obvenientium per charitatem explicari possit per continentiam virtualem modo iam indicato, quàm per concomitantiam formalem omnium bonorum, ut volunt Adversarii; Et universaliter verum est, quod ubi est continentia virtualis aliculus formæ, frustrà additur concomitantia formalis illius, ut patet de anima rationali, quæ quia dicitur virtualiter continere sentientem, & vegetantem, ideò ipsa sola in homine reperitur secundum communem sententiam, & non tres animæ realiter distinctæ. Nec etiam alia auctoritas urget ad Galatas 3. commodè enim intelligi potest, ac sine ulla violentia de solis virtutibus theologicis; vel etiam de moralibus, ut virtualiter continentur in fide, & charitate, quæ quia possunt actus aliarum virtutum imperare possunt alię virtutes dici virtualiter. Qua propter Arriaga *disp. 35. sect. 2.* ingenuè fatetur ex nullo loco Sacræ Scripturæ ex hactenus adductis à Thomistis appositam sententiam solidè deduci, quia auctoritates illæ non loquuntur de habitibus virtutum moralium, sed de actibus earum, qui virtualiter in charitate continentur, & ab ipsa solà imperari possunt, ut constat ex primo loco adducto 1. Corinth.

39 Secundò probatur ex Concil. Trid. nam *sess. 6.* ubi agitur de Iustificatione impii, nulla prorsus fit mentio de virtutibus per se infusis, sed de sola fide, spe, & charitate, vel gratia sanctificante, & nil aliud exigit, ut homo iustificetur, ac ultimatè sanctificetur. Et *sess. 5. can. 1.* definitur, Adam in terrestri Paradiso per transgressionem præcepti solam amisisse sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, hoc est, gratiam sanctificantem, & iustitiam originalem; undè postea can. ultimo definitur per baptismum parvulis solum reatum originalis culpæ per gratiam remitti, nihilque de his virtutibus infusis agitur in eorum iustificatione intervenientibus.

Respondent, imò *sess. 6. cap. 7.* id assertivè proponi, ubi Concilium definit; iustificationem esse renovationem interiorem per susipsionem gratiæ, & donorum; licet autem nomine donorum possint intelligi habitus Theologici, quia tamen Concilium loquitur universaliter, non debemus eam definitionem ad has solas coarctare. Addunt hoc ipsum adhuc manifestius deduci ex Clemente Quinto in Concilio Viennensi, licet enim ibi non definiatur hæc quæstio, defenditur tamen à Pontifice, tanquam probabilior, pars illa, quę dicit, in baptismo simul cum gratia infundi virtutes, quæ definitio tam se extendit ad morales, quàm ad theologicas.

40 Hæc tamen responsio ex ipsomet Concilio reiicitur, nam in eodem cap. 7. declarans quid intelligi debeat per hanc infusionem gratię, & donorum, inquit, *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*, itaque ex ipsiusmet Concilii declaratione nomine donorum soli intelliguntur habitus theologici; undè falsum est Concilium in ea universalitate loqui, ut nomine donorum intelligat etiam virtutes infusas; nam ex vi talis locutionis universalis sequeretur, non tantùm virtutes morales per se infusas, sed etiam virtutes acquisitas infundi parvulis, nam talis universalitas nullas prorsus excluderet virtutes, Dùm verò in Concilio Viennensi sub Clemente Quinto legitur parvulis infundi gratiam, & virtutes, *per virtutes* etiam solæ Theologicæ intelliguntur; Et ratio est, quia ut notat Vasq. *disp. 86. cap. 2.* controversia, quæ fuerat inter Theologos tempore Innocentii Tertii in Concilio Lateranensi, & refertur c. *Maiores*, erat de Virtutibus theologicis, non autem moralibus, ait enim fuisse opinionem multorum Scholasticorum asserentium, neque etiam Theologicas ullas virtutes infundi simul cum gratia, ut legenti constare potest; Cùm ergò postea Clemens Quintus in Concilio Viennensi, tanquam probabiliorem opinionem approbavit in Baptismo infundi gratiam, & virtutes, de Theologicis Virtutibus intellexit.

41 Sed instant Arriaga, & alii illam controversiam sub Innocentio Tertio fuisse non solùm de Theologicis virtutibus, sed etiam de Moralibus; quod colligunt ex eius verbis, sic enim loquitur, ut videre est *loc. cit. Illud verò, quod opponentes inducunt fidem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, ut potè non consentientibus, non infundi*, &c. nam cum dicit *aliasque virtutes*, intelligere debet aliquas alias cum spe præter fidem, & charitatem, non autem solam spem, nam si solam spem intelligeret præter fidem, & charitatem, non diceret *aliasque virtutes*; ergò de his etiam erat controversia, ac proindè ut probabilior opinio approbata fuit in eo Concilio ea, quæ asserebat infundi etiam virutes morales.

Ad hanc replicam ex relatis verbis deductam optimè occurrit Arretinus *3. dist. 26. q. un. art. 12.* neque Innoncentium, neque Clementem dixisse controversiam fuisse inter Theologos de infusione aliarum virtutum præter fidem, & charitatem: sed Innocentius referens sententiam negantem, solùm dixit, quosdam Theologos in ea fuisse opinione, ut dicerent fidem, aut charitatem, aut alias virtutes non infundi parvulis in baptismo, quia nullum genus habitus infundi existimabant; Non tamen refert eos, qui oppositum affirmabant, nempè infundi parvulis in Baptismo gratiam, & virtutes, dixisse præter fidem, & charitatem infundi alias virtutes; sed tantùm refert dixisse infundi virtutes, & gratiam, id quod etiam Clemens eodem prorsus modo commemorat. Hæc autem verba esse poterant, etiamsi prædicti Doctores asserent simul cum gratia infundi solùm virtutes theologicas fidei, & spei; Quarè ex innocentio, & Clemente nihil hactenus certi habetur de infusione virtutum moralium, neque prædicta opinio ab illis Pontificibus, ut probabilior approbata est; Et quidem si in Concilio Viennensi in Clementina illa de summa Trinitate, & fide Catholica, ut dogma fidei esset definitum in Baptismo infundi quoque morales virtutes, ut Adversarii iactant, certè talis definitio in Tridentino omnium præcedentium Conciliorum epilogo utique rememoraretur. Et hoc totum fateturetiam Ovvied. *p. 2. tract. 3. contr. 2. punc. 7.*

42 Tertiò probatur ex Patribus, qui si benè perpendantur, nullas agnoscunt virtutes morales per se infusas ab acquisitis essentialiter distinctas, sed tantùm acquisitas; quas tamen dicunt non esse veras, & perfectas virtutes sine charitate, eo quod nulla illarum inclinat ad finem ultimum, & supernaturalem, nisi mediante charitate, cuius est per se respicere finem ultimum, ipsa siquidem sola ordinat ipsas, & earum proximos fines in finem ultimum, in qua ordinatione, est ultima earum perfectio, licet extrinseca, ut explicat Doctor *3. dist. 26. art. 3.* Augustinus *lib. 4. cap. 2.* contrà Iulianum, qua ratione idem Aug. lib. de vera, & falsa pœnitentia duplicem fecerunt pœnitentiam ut notat Doctor *4. dist. 14. quæstion. 2.* in fine, unam fructuosam à charitate imperatam, quæ est opus Dei ab eius misericordia inspiratum; alteram infructuosam absolutè possibilem ex naturalibus hominis; Itaque quando Pares virtutes morales appellant dona Dei, & instrumenta hominem conducentia ad vitam æternam, his inquam, & similibus loquendi modis noluerunt Patres insinuare genus quoddam virtutum moralium, quæ sint supernaturales, & suaptenatura finem supernaturalem respicientes, & ab acquisitis omniò essentialiter diversas, ut Thomistæ sunt opinati, sed loquuntur de virtutibus acquisitis per charitatem informatis, & sub eius imperio existentibus; sic enim ex coniunctione cum charitate extrinsecè ordinantur ad supernaturalem finem, & fructuosè conducunt ad vitam æternam, & earum actus, prout ad sanctitatem vitæ spectantes, aiunt ad divinam inspirationem, & gratiam Dei esse revocandos. In hoc sensu Gregorius hom. 5. in Ezechiel ait, *Spiritum Sanctum in cordibus iustorum iuxtà quasdam virtutes semper permanere*, inter quas recenset fidem, spem, charitatem, humilitatem, castitatem, iustitiam; simul enim accipit virtutes theologicas infusas, & moreles acquisitas, ut indicet in anima iusti tunc verè. Spiritum Sanctum inhabitare, quandò per imperium charitatis operatur secundum omnes virtutes propter Deum; non verò, quia præter humilitatem, castitatem, & iustitiam acquisitas, alias quoque agnoverit infusas Deum respicientes, ut finem supernaturalè in iustificatione simul cum charitate infusas, ut Thomistæ intelligunt. Hoc idem indicare voluit Hieronymus in Præfatione ad Lamentationes Hieremiæ, ubi deplorans statum animæ in peccato, inquit, *animam ante peccatum radiare, non metallo auri, aut argenti, sed virtutibus, eaque omnia per peccatum auferri, & denudari domum Domini omnibus ornamentis*; Ex quo præsertim loco colligunt Thomistæ virtutes infusas, quia habitus acquisiti etiam post peccatum manent in homine. Sed malè, quia hic etiam Hieronymus loquitur de virtutibus acquisitis charitate informatis, cuius pulchritudine in anima radiant, inquantùm earum actus ex imperio charitatis eliciti, & ex speciali Dei auxilio, ad finem ultimum meritoriè disponunt; sublata vero charitate, & sanctitate per peccatum tales virtutes amittunt formã

decorem, & pulchritudinem, & efficiuntur inutiles ad supernaturalem finem; & in hoc eodem sensu loquuntur alii Patres à Thomistis adducti.

Respondent, non benè exponi Patres in hoc sensu, sed verè indicare voluisse aliud genus virtutis infusæ per se ab acquisitis essentialiter diversum, quia ex August. *lib. 1. retract. c. 9. & 2. de lib. arb. c. 18. & 19.* Virtus definitur, quod sit *bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*, per quam ultimam particulam notant contrahi definitionem virtutis specialiter ad genus virtutis infusæ. Sed viri docti notarunt in definitione ab Augustino tradita de virtute morali illâ ultimâ particulâ, *quam Deus operatur in nobis sine nobis*, minimè reperiri, alioquin non darentur virtutes acquisitæ, sed omnes forent infusæ; Quod si illa particula ab Augustino re vera fuerit adiuncta, ut alii contendunt, tunc dicendum est Aug. per eam descripsisse virtutes theologicas, non verò morales.

33 Quartò tandem probatur ratione, quia nulla est necessitas constituendi huiusmodi virtutes morales per se infusas ab acquisitis essentialiter diversas, cùm satis sit concedere acquisitas; ergò frustrà ponuntur; probatur assumptum, quia satis videtur admittere in baptismo eas virtutes infundi, quæ sunt ad salutem necessariæ, quales sunt fides, spes, & charitas; ergò aliæ non sunt constituendæ.

Confirmatur, quia ad hoc virtutes sunt viatoribus necessariæ, ut fines suos debitos consequi possint; duplex autem est finis hominis, unus naturalis, & alter supernaturalis ad consequendum finē naturalem sufficiunt virtutes morales acquisitæ; ad supernaturalem verò sufficiunt theologicæ, quæ supernaturaliter infunduntur, & sunt habitus in substantia supernaturales; Quod si ad finem supernaturalem conducunt virtutes quoque morales, hoc non est ex natura ipsarum, sed hoc eis convenit ab extrinseco quatenus sunt per charitatem informatæ, & sub eius imperio existunt; hac enim ratione charitas dicitur forma omnium virtutum; aliæ enim virtutes morales non ordinant hominem ad finem ultimum supernaturalem, nisi mediante charitate, ut ait Doctor *dist. 36. cit. art. 3.* Denique nulla virtus moralis per se ordinat hominem immediatè ad Deum sub ratione Deitatis beatificè attingendum, nec habet proprium obiectum honestum per se connexum cum bono divino: Si enim hoc de ulla virtute morali verum esset, præsertim verificaretur de pœnitentia, & Religione, quæ cùm non sint virtutes theologicæ, deducunt Thomistæ necessariò ponendas esse virtutes per se infusas, cùm nulla detur pœnitentia naturalis acquisita. Hoc autem de Religione asseri nequit, quia proximum eius obiectum non est Deus sub ratione Deitatis, sed cultus interior, vel exterior reverentia, vel æstimatio, & appretiatio Dei super omne creatum, ut monet Doctor. *3. dist. 9.* Nec etiam de pœnitentia, quia eius formale obiectum est pœna ordinativa culpæ ad æqualitatem legis violatæ, cuius finis est bonum commune politiam fundans humanam, undè intrinsecè non est per se reconciliativa cum Deo offenso, sed hoc ei convenit solùm extrinsecè ex charitate informante, quæ eius actum imperat propter Deum, undè absolutè loquendo potest innasci ex naturalibus hominis, licet non fructifera, & sic non est cur negetur dolor naturalis de peccato ob eius turpitudinem, talis autem dolor haud dubiè est pœnitentia, licet ad iustificandum non sufficat; ità Doctor *4. dist. 14. q. 2.* in fine, cui subscribit Arriaga *disp. 35. sect. 2. nu. 13.* ergò commentitiæ sunt morales virtutes per se infusæ immediatè, vel mediatè disponentes hominem ad Deum intrinsecè, quod adhuc constabit magis ex obiectionum solutione *artic. seq.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Obiectionibus occurritur.

34 IN oppositum obiiciunt Primò Thomistæ ex Scriptura, & Patribus, qui dicunt actus virtutum moralium esse dona Dei, & requirunt gratiam particularem ad illos eliciendos, quatenus ad vitam æternam conducunt, quod ex pluribus probant testimoniis; ergò actus illi sunt supernaturales in substantia, & consequenter virtutes, à quibus proveniunt, erunt sic supernaturales, & per se infusæ. Deindè obiiciunt Concil. Viennense in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica, ubi definitur in Baptismo infundi gratiam, & virtutes. Tandem Cathechismum Romanum de baptismo; ubi dicitur, *Gratia adheret nobilissimus virtutum comitatus, qua in anima simul cum gratia divinitus infunduntur*; ergò in baptismo infunduntur virtutes morales.

Respondetur ex iam dictis *art. præced.* ponderando loca Scripturę, & Patrum, in eis sermonem fieri de actibus moralium virtutum acquisitarum meritoriè in Deum relatis, prout initiantur ex speciali Dei auxilio excitante, & adiuvante, & à charitate extrinsecè imperantur informante, & elevante virtutes morales acquisitas intrinseca eorum principia; hoc enim solùm modo eliciti ad vitam æternam conducere dicuntur, ut ait Doctor *3. dist. 26. quæst. unic. art. 3.* undè in hoc sensu concesso assumpto negatur consequentia, quia ad talem elevationem sufficit charitatis imperium; Cui accedit, quod etiam donum Dei est quodcunque confert ex gratia particulari, sicut pluvia ob orationes fidelium concessa donum Dei diciditur, & ex gratia particulari collatum, & tamen illa pluvia non dicitur supernaturalis in substantia. Ad Concilium Viennense iam dictum est, ibi loqui de infusione virtutum theologicarum simul cum gratia. Ad Cathechismum Romanum, quicquid sit de valore auctoritatis eius, dicendum est ipsas tres virtutes theologicas cum gratia infusas nobilissimum virtutum chorum optimè vocari posse.

35 Secundò urgent ratione; Caietanus cum aliis Thomistis indè eas virtutes per se infusas probat, quia necessariæ sunt, ut ordinentur earum obiecta ad finem supernaturalem, quem respiciunt theologicæ virtutes. Deindè Vasquez, cui hæc ratio non placet, supponens Aristot. doctrinam, quod opus ut sit honestum, debet amare propter seipsam honestatem virtutis, ità earum virtutum necessitatem deducit; Vbicunque sunt plures honestates, possunt plures esse virtutes, quarum una ametur ab una virtute, altera ab altera; cùm igitur in actionibus, v.g. eleemosinæ, iustitiæ, castitatis &c. duæ sint honestates; una quatenus illæ actiones sunt rationi naturali conformes, & Reipublicæ humanæ; altera verò, quatenus illæ eædem decent hominem, ut ordinatum ad finem supernaturalem capacem gloriæ, civem Sanctorum &c. duæ debebunt esse virtutes, una quæ amet priorem honestatem; altera quæ secundam; illam dicit esse acquisitam, hanc verò secundam supernaturalem, & per se infusam.

Respondetur ex Scoto sæpè cit. *3. dist. 26. art. 3.* virtutes morales acquisitas sufficienter in finem supernaturalem ordinari mediante charitate, proindè sine charitate dicuntur imperfectę, & per charitatem perfectæ, & formatæ, pro quanto charitas ordinat ipsas, & earum fines, & obiecta in finem ultimum supernaturalem, in qua ordinatione est ultima earum perfectio extrinseca. Neque etiam ratio Vasquez concludit, quia virtutes infusæ à naturalibus non differunt pænes obiectum etiam formale, quasi obiectum virtutis naturalis necessariò debeat esse naturale, & supernaturalis supernaturale; sed differunt solùm ex hoc capite secundum altiorem, & perfectiorem modum illud idem obiectum tangendi, ut fusè declaratum est *disp. præced.* de Virtutibus Theologicis *quæst. 7.* Deindè iam dictum est, quod propter conducentiam, quam habentur virtutes morales ad vitam ęternam, non est opus ponere virtutes infusas, quia hoc faciunt mediantibus theologicis ipsæmet morales acquisitæ. Tandem inquit Doctor *3. dist. 34.* sub lit. E. quod si vita humana est duplex, naturalis, & supernaturalis, secundum duplicem politiam duplex tantùm erit virtus necessaria, theologica infusa, & moralis acquisita.

Tertiò urgent idem Caietanus, & Medina ex perfectione ordinis supernaturalis, quia per virtutes theologicas inchoatur tantùm in nobis perfectio supernaturalis ordinis, utpotè respicientes solum finem ultimum; ergò per virtutes morales per se infusas media ad illum consequendum respicientes, habetur complementum illius. Deindè ex proportione effectus ad causas, causa supernaturalis debet habere effectum supernaturalem; ergò virtutes theologicæ debent habere virtutes morales supernaturales sibi correspondentes, nam alię virtutes acquisitæ non possunt ipsis esse sufficienter proportionatæ. Rursus arguunt ex obiecto istarum virtutum infusarum, nam materia temperantiæ, ut potest diversæ regulæ supernaturali conformari, ac propterea ad finem supernaturalem, conducere, habet peculiarem rationem obiecti formaliter distinctam ab obiecto eiusdem virtutis, quatenus potest conformari naturali regulæ rationis, ergò sunt assignandæ virtutes infusę, quę circà illam peculiarem rationem formalem obiecti versetur. Demum arguunt ex ordinatione ad diversum finem; nam morales acquisitæ ordinant ad vitam humanam; ergò cùm egeamus virtutibus moralibus ordinantibus ad vitam æternam, necesse est has infusas ponere.

37 Respondetur negando assumptum, sic enim dicendo nimis derogatur supernaturali regulæ fidei infusæ, & perfectioni charitatis, quæ ab Apostolo super omnes virtutes extollitur, & singulas continet eminenter; siquidem fides proponit homini sufficienter credenda, & agenda; & charitas meritoriè inclinat ad credendum, & implendum omnia ad ultimum finem consequendum necessaria. Deindè gratis etiam accipitur in consequente, virtutes morales versari tantùm circà media per se ordinata ad finem supernaturalem; omnes siquidem virtutes morales per se primò, & intrinsecè habent proprium finem honestum, propter quem voluntas sub eius regula imperat

perat media pro eius attingentia. Tandem, quando etiam id concederetur, ordinationi supernaturali sufficeret, ut homo rectè disponatur circà finem ultimum per virtutes morales acquisitas, elevatas tamen auxilio virtutum supernaturalem. Ad secundum negatur consequentia cum probatione, nam virtutes morales non sunt effectus virtutum Theologicarum, & quamvis ab eis perfectionem quandam extrinsecam sumant & decorem, non tamen causantur ab eis, licet earum imperio subiiciantur; effectus itaque virtutum Theologicarum supernaturales sunt proprii actus earum eliciti & non debet esse ulla proportio in virtutibus moralibus ad illas, nisi ut possint imperare earum actus; & eos ad suum finem dirigere. Ad tertium, negatur assumptum, obiectum enim temperantiæ, v.g. est utique materia delectabilis, ut à ratione regulabilis; & ut rationi consentanea; sed quod sit consentanea huic rationi, vel illi, non ponit differentiam formalem obiecti; nam quod recta ratio hinc, vel indè habeatur, non tollit essentiam virtutis, quæ debet esse conformis rationi rectæ, quæcunque illa sit; Accedit ex dictis nullum esse obiectum attingibile secundum quamcunque considerationem à virtute infusa, quod non possit attingi secundum eandem per virtutem acquisitam, & ideò diximus *disp. præc. q. 7.* virtutem infusam, & acquisitam ex parte obiecti etiam formalis non necessariò distingui. Ad ultimum iam dictum est, virtutes quoque morales acquisitas posse hominem ad vitam æternam ordinare, quatenus à Theologicis diriguntur, & elevantur.

38 Quartò, necessitatem virtutum infusarum Aversa *q. 55. sect. 8.* nititur deducere ex actuum ipsarum supernaturalitate; certum enim est inquit, dari actus secundum substantiam supernaturales, hoc est, ad quos eliciendos insufficiens est facultas naturalis animæ, indigetque principio superiore elevante, & adiuvante, debet autem in homine iusto concedi principium internum horum actuum supernaturalium permanens, & habituale, cuius generis sunt virtutes infusæ; id enim magis consentaneum est suavi rerum ordinationis, ut nempè causa secunda existens in statu proportionato habeat permanenter vim requisitam in ratione causæ secundæ; Sicut ergò hac ratione conceduntur theologicæ virtutes infusæ ob supernaturalitatem actuum credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi; ità pariter, cùm dentur etiam actus supernaturales virtutum moralium, concedendæ quoque sunt virtutes morales infusæ. Et hoc eodem capite etiam Arriaga loc. cit. inquit melius deduci necessitatem virtutum infusarum, supponendo opera naturalia non habere ex se ullam condignitatem cum præmio vitæ æternæ; & licet homo sit in gratia, adhuc non mereri, nequidem de congruo, quicquam de augmento gratiæ, aut gloriæ per eos actus naturales; & hoc probat à simili ex tribus aliis virtutibus fide, spe, & charitate, nam sicut non sufficit ad salutem fides naturalis, qua credatur Deo dicenti; nec sufficit amor naturalis ipsius Dei, neque item spes naturalis de beatitudine acquirenda, sed ponuntur aliæ virtutes supernaturales, quæ sint proportionatæ; ità etiam non sufficit ad merendum augumentum gratiæ, aut vitæ æternæ virtus naturalis misericordiæ, iustitiæ, castitatis &c. non enim potest probabiliter assignari ratio ulla, cur hæ sufficiant, non illæ.

39 Respondetur, negando paritatem de supernaturalitate actuum virtutum Theologicarum, & actuum virtutum moralium; actus enim illarum cùm sint intrinsecè supernaturales, & primi in ordine supernaturali, requirunt habitum in substantia supernaturalem, à quo elicitivè procedant; actus verò virtutum moralium non ità sunt supernaturales; sed solùm extrinsecè, & accidentaliter, quatenus, scilicet, licet elicitivè ab habitu merè naturali procedant, imperativè tamen procedunt ab habitu supernaturali charitatis, ac etiam ex speciali Dei auxilio, quatenus sunt fructuosi, & ad vitam æternam conducentes; undè non est cur in eis requiratur ulla alia supernaturalitas intrinseca, & essentialis, in actibus verò fidei, & charitatis requiritur intrinseca, quia cum sint primi, non possunt per alios actus, vel habitus supernaturales informari, & elevari ad ordinem supernaturalem; undè hac ratione charitas forma dicitur cæterarum virtutum, quia nullus actus aliarum virtutum potest esse meritorius, nisi informatur actu charitatis, quæ doctrina est Scoti *3. dist. 26. qu. unic. art. 3.* & sufficit ad solutionem argumenti etiam, ut ab Arriaga proponitur; quamvis enim actus virtutum moralium ab habitu charitatis separatarum, quo pacto vocantur informes, & imperfectæ, non sint nec augmenti gratiæ, nec vitæ æternæ meritorii; nihilominus ex eius consortio, & imperio talem virtutem sortiuntur; actus enim virtutum moralium sunt media ad acquirendum meritoriè finem supernaturalem, ut procedunt ex charitate, vel imperativè; vel etiam elicitivè, cum in eius obiecto eminenter contineantur, & virtualiter iuxtà illud Apostoli; *Charitas patiens est* &c. qua ratione dixit Gregorius homil. 17. in Evangel. *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice charitatis*; Non igitur habent valorem ad finem supernaturalem actus virtutum moralium ex eo, quod procedant elicitivè ab aliqua virtute morali infusa, sed quia ex speciali Dei auxilio excitante, & adiuvante initiantur, & à charitate extrinsecè imperantur informante, & elevante virtutes morales acquisitas intrinseca eorum principia.

Sed contrà hanc solutionem replicat Arriaga, quia hæc doctrina de imperio charitatis minus est probabilis, omnes enim actus aliarum virtutum etiam sine actuali charitatis imperio possunt esse meritorii de condigno in homine iusto, ut alibi se ostensurum pollicetur. Deindè, quia sicut nos dicimus actus naturales morales sufficienter eleuari ad meritum condignum gloriæ per hoc, quod dignificantur à charitate; Ita pariter ipse dicet etiam ipsum amorem naturalem Dei sufficienter informari, & elevari per hoc, quod procedat ab homine habente gratiam supernaturalem; ideoque non esse necessarium ponere amorem supernaturalem in substantia, & consequenter neque habitum infusum charitatis.

41 Respondeo, nos quoque illam doctrinam admisisse, ut probabilem *lib. 2. disput. 7. de Iustificatione qu. 9. artic. 1.* quia illi actus virtutum moralium estò sint in substantia naturales, nec procedant formaliter ex charitatis imperio, adhuc tamen sufficienter elevantur ad ordinem supernaturalem ex consortio charitatis, & dignificantur ex dignitate personæ operantis, ut ibi explicatum est, hoc enim ipso ramus ille boni operis manere censentur in radice charitatis, etiamsi non producatur ex aliquo habitu supernaturali virtutis infusæ, hoc enim parum iuvaret, si persona operans non esset in statu gratiæ, & charitatis. Ad aliud nagatur paritas, quia si amor ille Dei ponitur procedere ab homine habente gratiam supernaturalem, cùm hęc in sententia nostra non sit habitus à charitate distinctus, & talis amor esset iuxtà inclinationem charitatis, iam esset amor supernaturalis, & ab habitu charitatis supernaturalis procedens, non verò purè naturalis, & non esset supernaturalitas extrinseca, & accidentalia, qualis est supernaturalitas actuum virtutum moralium a charitate imperatorum, sed intrinseca, & essentialis.

Quintò arguit Lezana *p. 2. tom. 2. tract. 4. q. 3.* homo per gratiam, & virtutes theologicas elevatur ad novum esse supernaturale, vitam, scilicet, deificam, & specialem participationem divinæ naturæ, ergò debuit etiam habere media proportionata ad talem finem; sed talia media non sunt virtutes naturales, & acquisitæ; quia quamvis ordinari possint ad talem finem ex imperio charitatatis, nihilominus talis ordinatio solùm est extrinseca, & non immutat eas quod substantiam, sed eas relinquit in suo esse naturali, assignari ergò debent aliquæ virtutes supernaturales intrinsecè, & quoad suam substantiam proportionatæ tali fini, quod habent virtutes morales infusæ.

Respondeo, negando non sufficere ordinationem illam extrinsecam factam per fidem, & charitatem, ut virtutes naturales, & acquisitæ sint media proportionata ad ultimum finem consequendum, supposita namquè tali informatione, & ordinatione per charitatem facta, non est cur requiratur in eis alia supernaturalitas intrinseca, & essentialis, in actibus enim fidei, & charitatis requiritur intrinseca, quia cum sint primi actus supernaturales, non possunt per alios actus informari, & ordinari ad finem ultimum, quæ ratio in virtutibus moralibus, quæ sunt secundæ, omninò cessat: Et hoc est, quod inquit Doctor *distinct. 36. quæst. unic. art. 3.* præter morales virtutes ab homine acquisitas, non esse ponendam aliquam moralium infusam, sed tantummodo unam charitatem, quæ est forma aliarum virtutum, quatenus ad finem ultimum omnes ordinat, & per hoc omnes facit esse gratuitas, & sufficit cum acquisitis ad aliciendas actiones omnium earum sub ratione, quæ sunt gratuitæ, & in finem ultimum ordinatæ: Et sicut prudentia regulam imprimit actionibus, & dat eis rationem medii, ut ordinatur in fines proprios ex se, & in ultimum finem naturalem, quæ est humana fælicitas, ut est prudentia humana: Ità fides charitate formata, & ipsa charitas regulam imprimit actionibus virtutum moralium, & dat eis rationem medii, prout ordinantur in finem ultimum supernaturalem atque ità virtus moralis acquisitam in finem ultimum supernaturalem ordinatur per modum medii proportionati ut est directa à fide, & imperta à voluntate charitatę formata.

42 Sextò tandem arguunt, quia si non darentur virtutes morales per se infusæ, quæ simul cum gratia in baptismo infundantur, sequeretur, quod puero baptizato non sufficienter provisum esset, quia solùm esset perfectus respectu finis, non autem mediorum; Deindè sequeretur etiam, quod parvuli baptizati antè usum rationis decedentes non haberent virtutes morales in patria, quia non debent ibi habere nisi eas virtutes quas habuerit in via.

Respondeo, negando sequelam primi absurdi, adhuc enim par-

par-

paruulo sufficienter provisum esset, quia ex auxilio fidei, & charitatis, cùm ad usum rationis pervenerit poterit se in actibus moralium virtutum exercere, & Ilas sibi acquirere; qua ratione etiam dicere possumus, quod non plenissimè ei provisum fuerit, quia neque congruit, cù n debeat proprijs actibus virtutes acquirere, quas poteſt. Negatur etiam sequela alterius absurdi, quia ut inquit Doctor *distin. 16. ar. 3.* potuerunt virtutes illæ communicari ipsis in patria in primo beatitudinis instanti, sicut multæ aliæ perfectiones de facto communicantur, quę ipsis in via non competunt, Vel etiam cum eodem dici poteſt, quod in patria poterunt eas acquirere per actus suos, sicut enim non est ratio, quarè in patria non poterunt addiscere aliqua scibilia in genere proprio, quæ in via pænitus non noverunt, ità non est ratio, quarè non poterunt ex bonis electionibus sibi virtutes acquirere; Concedendum ergo est, quod virtutes morales in paruulis erunt in patria, hinc tamen inferri non debet, quod eas habuerint in via; tum quia multæ perfectiones communicantur eis in patria, quas, non habuerunt in via; tum quia in patria possunt eas per proprios actus acquirere. Quarè concludit Doctor in eo articulo, quod sicut virtutes morales non requiritur theologicas ad hoc, quod ipsæ morales sint perfectæ in sua specie, licet non sint perfectæ ulteriori perfectione accidentali, quam ab eis accipere possunt; ità etiam è converso theologicæ sivè in via, sivè in patria, non requirunt necessariò morales, ac proindè sicut non est necessaria connexio virtutum moralium ad Theologicas, ità è conversò non est necessaria connexio Theologicarum virtutum cum moralibus.

Dices, ex august. serm. 1. Dom. 4. post Epiphan. habetur, quod charitas includit in se omnes virtutes cardinales. Respondo, August. loqui de perfectione extrinseca, & accidentali virtutum cardinalium, quam à charitate accipiunt, quia etsi charitas virtutes morales non producat, eas tamen decorat, illustrat, & perficit eo modo, quo lux colores perficit in genere lucidi. Vel dicendum August. loqui de continentia virtuali, & eminentiali quatenus, scilicet, charitas actus aliarum virtutum simul cum fide imperat, & dirigit iuxta illud Apostoli *Charitas patiens est, benigna est* &c.

QVÆSTIO TERTIA.

An virtus in medio consistat, & quomodo.

43 COmmunis est sententa Philosophorum, & Theologorum virtutes morales in medio consistere inter vitia, & extrema opposita, specialiter sumendo virtutes morales, ut ab intellectualibus, & Theologalibus distinctas; sic enim virtutem moralem definit Arist. 2. Ethic. cap. 6. *Est virtus habitus electionis in mediocritate consistens quoad nos definita à ratione, ut definierit ipse prudens;* Ex quo etiam deducunt mediocritatem virtutis esse secundum dictamen rationis, & prudentiæ, non secundum rem ipsam, quod Arist. declarat in materia temperantiæ, in qua non est constitutum unum certum medium ex natura rei pro omnibus, hominibus quantitas enim cibi, quæ respectu hominis sani & robusti est temperantiæ obiectum, respectu infirmi, & debilis est obiectum intemperantiæ; hoc idem constat in materia fortitudinis nam idem periculum, quod respectu huius est obiectum fortitudinis, respectu alterius erit obiectum temeritatis; Hoc itaque obiectum rationis dicitur, & non rei, quia licet ratio illud expendere debeat ex circumstantiis, quæ in re sunt; multum tamen datur post circumstantias cognitas rationis arbitrio in eo taxando

44 Verum quamvis doctrina hæc communiter à Scholasticis recipiatur, & præsertim à Scoto *3. dist. 36.* non desunt tamen graves difficultates in ea declaranda, & applicanda singulis virtutibus, nam in primis in virtutibus intellectualibus, & theologalibus locum habeat non videtur talis mediocritas ex parte obiecti: etenim non contingit excedere in credendo, sperando, & diligendo Deum, sed eo maior erit perfectio harum virtutum, quo magis ad summum accedent, ideò Eccles. 43. dictum est, *Benedicentes Deum, exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude,* & Bernardus opusculo de diligendo Deo, *modus diligendi Deum est sine modo diligere.* Hoc idem patet habere locum in quibusdam etiam virtutibus moralibus, ut in Religione, & cultu Dei, nam sicut nemo amare potest Deum ultrà quàm ipse meretur, ità nec colere, nec adorare ultrà quàm meretur, pro quo magis facit locus Ecclesiast. adductus, quàm pro Theologicis, quia laudare, & magnificare ad cultum Dei pertinet potius, quàm ad amorem theologicum, & non habet excessum malum; Idem patet de virtute gratitudinis ergà Deum, quæ est etiam virtus moralis, quia neque in hac potest esse excessus malus siquidem creatura nunquam potest tot, tantasque gratias Deo agere pro beneficiis acceptis, ut Deus non mereatur maiores, ergò ibi nequit esse vitium per excessum; In obedientia item ergà Deum hoc ipsum clarissimè constat, non enim est possibile excedere, & peccare obediendo Deo.

Deindè Iustitia est virtus moralis, & tamen non respicit obiectum duobus vitiis circumscriptum per defectum, & excessum, seu non consistit in medio inter duo vitia saltem contraria ipsi iustitiæ; nam quamuis verum sit, quod debens quatuor, si solvat minus, v. gr. duo, vel tria committat peccatum iniustitiæ; & 43
solvere minus sit vitium iniustitiæ; soluere tamen magis, scilicet, quinque, vel sex non est ex se peccatum iniustitiæ, quia potest esse actus charitatis, vel liberalitatis; & quamvis aliquando sit peccatum, aut vitium prodigalitatis; prodigalitas tamen non est vitium oppositum iustitiæ; ergò iustitia non est virtus consistens in medio inter duo vitia saltem contraria ipsi iustitiæ; Rursus Iustitia debet tenere medium rei, non rationis, quia iustitia debet unicuique, quod suum est, reddere, ut si debet quatuor, debes solvere quatuor, non plus, vel minus; ergo medium in quo consistit iustitia, taxatum est ex natura rei, non autem à ratione determinatur per respectum ad operationem, & varias circumstantias, & hæc est communis opinio Thomistarum, pro quo adducunt Arist. 2. Ethic. c. 16. ubi medium iustitiæ vocat medium rei, medium autem aliarum virtutum vocat medium rationis; Quarè dicunt medium rationis, seu à prudentia definitum, pertinere tantum ad virtutes morales, quæ versantur circà passiones, scilicet, temperantiam, & fortitudinem; nam medium temperantiæ in cibo, & potu, non est determinatum à natura, nec idem, & æqualiter pro omnibus; sed determinatur à prudentia, itaut sic maius, v. g. pro iuvene, quàm pro sene, aliud pro ægro, aliud pro sano, unum pro una occasione, & diversum pro alia; Concludunt denique solas virtutes morales, quæ versantur circà passiones, consistere in medio inter duo vitia extrema eidem virtuti opposita per excessum, & defectum; & hæc est communis opinio Recentiorum.

At neque hæc communis doctrina subsistere videtur, quia si 46
hæ virtutes, quæ versantur circà passiones, extrema prohibent, ut vitiosa, & ipsis contraria; ergò per quodlibet extremum contrà illas peccatur; quod tamen falsum videtur; quis enim intemperantem dicet illum, qui nihil prorsus comedit cum periculo vitæ; quis dicet impudicum, vel incastum, qui mortuus est, eo quod cohibuerit omnes motus carnis, & noluit uxorem accipere? quis item impatientem dicet, qui nimis multum tolerat? aut indevotum, qui nimis diù orat cum dolore etiam capitis? quod si dicas, tunc peccari, non quidem contrà temperantiam, vel castitatem, aut orationem, sed contrà amorem proprium qui prohibet omnia, quæ sanitati graviter nocent; hoc minimè satisfacit, sed potius rationem dubitandi propositam confirmat; si enim castitas; vel temperantia in medio illorum extremorum constituta est, sicut prohibet unum extremum, ità debet prohibere, & alterum. Etsi non prohibet, nisi unum extremum, ergò dici nequit, quod in medio consistat, sed potius, quod à medio incipiat, quia cùm primùm cibus est ultrà debitum, incipit prohiberi à temperantia; at hæc virtus non requirit, ut comedatur id, quod est necessarium, sicut liberalitas præcipit sumptus necessarios & prohibet superfluos, nam etiam est contenta, si homo nihil comedat, atque ità non consistit in medio; Quod si illa requireret, ut comedatur quod necessarium est, tunc ab eo abstinens intemperans diceretur, sicut avarus abstinens à necessariis sumptibus dicitur illiberalis. Hæ sunt potiores difficultates, quæ hanc materiam de mediocritate virtutum reddunt explicatu difficilem; Ex quo factum est, ut eleganter quidam Auctor dixerit, *Virtutem in medio consistere ferunt omnes, pauci tamen intelligunt;* quarè res est declaranda pro viribus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo virtutes morales in medio consistant.

DIcendum Primò, omnem virtutem moralem in medio consistere, sed non eodem modo. Conclusio est Arist. 2. Ethic. 42
c. 6. & ex ipsius virtutis definitione deducit, ac etiam ratione suaderur, quia omnis virtus inclinat ad actus tales, in quibus secundum prudentiæ regulam nulla circumstantia debita adest, nec ullo redundet; ergò omnes virtutes morales spectant medium, & in medio consistunt.

Quod verò non eodem modo probatur, quia ut notat Aversa *qu. 55. sec. 22.* dupliciter potest virtus inter duo vitia extrema consistere, uno modo formaliter, itaut utrumque extremum sit prauum, & deforme per oppositionem ad ipsammet virtutem; alio modo materialiter, itaut ex una quidem parte peccare contingat formaliter contrà ipsam virtutem, ex alia verò

verò parte in materia eiusdem virtutis peccare contingat per oppositionem ad aliam diversam virtutem ob alias rationes, seù circumstantias adiunctas, ut constat in exemplis adductis de temperantia, & castitate, nam qui immoderate deficeret à quantitate cibi pro vitæ conservatione necessaria, non utique per talem defectum contrà temperantiam peccaret, sed contrà charitatem ergà seipsum, quæ talem prohibet defectum. Quandò virtus priori modo inter extrema versatur ità nimirum, ut utrumque extremum sit pravum, & deforme per oppositionem ad ipsammet virtutem; tunc dicitur in ratione virtutis mediare inter duo extrema vitia formaliter; sic liberaliter inter avaritiam, & prodigalitatem mediare dicitur; fortitudo inter vitia extrema timiditatis, & audaciæ, & prudentia inter calliditatem, & imprudentiam, seù mentis habetudinem. Virtus verò, quę solùm posteriori modo inter extrema versatur per excessum, & defectum, non dicitur formaliter utrique vitio opponi, sed tantum uni, ut castitas luxuriæ, temperantia ebrietati, materialiter verò dicetur opponi alteri vitio, quod quidem formaliter erit oppositum alteri diversæ virtuti, ut patet in exemplo adducto de non comedente cibum necessarium pro vitæ conservatione; talis namque defectus formaliter opponitur tantum charitati ergà seipsum temperantiæ verò materialiter solùm; Ratio autem talis oppositionis materialis est, quia virtus non tantum opponitur vitio, formaliter destruitur, sed omni alii, quo peccari potest in materia ipsius virtutis, quia virtus per se non inclinat, nisi ad opus omni circumstantia rectum; Undè si adsit quæcunque mala circumstantia, virtus per se non inclinat ad ipsum opus, nec ipsum opus dicetur simpliciter bonum juxtà unàm virtutem, quando est malum adversus aliam. Quarè meritò dicitur virtus saltem materialiter omni vitio opponi, quo dehonestari contingit opus, quod in materia illius virtutis rectum esse debebat.

48 Ex his itaque patet, quomodo omnis virtus moralis aliquo modo in mediocritate consistat inter vitia opposita, quia licet nõ utrique semper formaliter opponatur, sed uni tantum, nihilominus ex alia parte saltem mater aliter opponitur alii, quia in ejus materia potest contingere, quod peccetur contrà alias virtutes. In hoc itaque sensu etiam ipsa justitia, de qua est major difficultas, dici potest consistere in medio inter duo vitia ipsi justitiæ opposita, unum quidem formaliter, qualis est iniustitia, quam committit reddens minus, quam debeat, alterum verò materialiter, quam incurrit reddendo plusquàm debeat. Imò dari potest casus, in quo contrà ipsam justitiam peccetur, non tantum per defectum, quando nimirum non redditur, quantum debetur, sed etiam per excessum, quando, scilicet, redditur plusquam sit debitum, & hoc eveniret, si debitor redderet coactè creditori plusquam debeat, talis enim excessus Iæsionem danti inferret contrà justitiam, in hoc inquam, casu plus dare, quàm oportet coactè est peccaminosum ex parte cogentis, sivè cogens sit ipse creditor cum violentia suum recipiens, & exigens suprà mensuram justitiæ, sivè Iudex condemnans debitorem ad plus solvendum, quàm teneatur, sivè etiam sit ipse dans ex propria libertate regulæ suæ conscentiæ renitens dictanti illud plus esse sibi necessarium pro sustentatione familiæ, ut notat Vulpes disp. 119. art. 1. Sic pariter in iustitia distributiva peccari potest per excessum, quando, scilicet, tribuitur alicui plus præmii, aut pænæ; quàm merita requirant, & per defectum, quando detrahitur ex debita mensura præmii, vel pænæ; Vndè malè Vasquez, & alii Recentiores dicunt per excessum in materia iustitiæ nunquam contra ipsam peccari, sed tantum in aliis virtutibus, ut v. g. liberalitatis, & fortitudinis; nam in prædictis casibus etiam per excessum contrà iustitiam peccatur, itaut utrumque extremum sit pravum, & deforme per oppositionem ad eandem iustitiæ virtutem; Verùm est tamen, cum extenditur in materia iustitiæ, non semper peccari, ut si cum debes centum des ducenta, imò potest esse actus virtutis liberalitatis, vel misericordiæ; etsi interdum peccatur, non contrà iustitiam peccari semper, sed contrà aliam virtutem, prodigalitate, scilicet, contrà liberalitatem, vel contrà charitatem, ut si furioso reddas ensem; hoc tamen non obstat, quin etiam aliquando in materia iustitię peccari contingat contrà ipsam iustitiam per excessum, ut constat in casibus adductis. Concludo igitur universaliter loquendo ideò virtutem dici in medio consistere quia sivè una sola, sivè duæ simul ea extrema prohibeant, nulla habet denominationem virtutis, nisi quando homo non deflectit in ullum extremum; & ex hac doctrina facile occurritur rationibus dubitandi propositis ab initio quæstionis pro virtutibus moralibus, quantum spectat ad punctum de earum mediocritate.

49 Sed Obiicies adhuc, quia sunt quædam virtutes, quæ tantum unum vitium oppositum habere videntur; & quantumcunque vergant ad aliud extremum, nunquam tamen rationem vitii inducunt, sed potius sunt virtus ipsa in gradu perfectioni constituta, ut v. g. humilitas opponitur sola superbia, nimia verò humilitate peccari non potest; similiter pœnitentia, amor Dei, religio unum duntaxat vitium oppositum habere videntur, scilicet, duritiem cordis, irreligionem, odium Dei; neque enim in amando, vel colendo Deum videmur excedere posse, cum non possit ei rependi æquale; ergò non omnis virtus est in medio posita etiam modo explicato. Confirmatur, quia si virtus esse in medio posita, iam tale medium in indivisibili consisteret, indivisibile autem istud attingere, ferè impossibile esset, atque ità vix unquam ex virtute operari possemus.

Resp. etiam virtutes illas esse in medio positas, & habere 50
duo vitia opposita, licet sæpè aliud extremum nomen habeat, quia rarius in eo peccatur; humilitas mediâ est inter superbiam, & abiectionem, seù utilitatem, quo vitio peccaret ille, qui præ nimia abiectione honores refugeret, quos secundum rectam rationem ad nitere deberet; Pœnitentia media est inter duritiem cordis, & immoderatam pœnitentiam, quo vitio peccaret qui per actus pœnales notabiliter valetudini noceret; Religio similiter media est inter irreligiositatem seù conemptum Dei, & superstitionem, qua indebito cultu Deus colitur, ac denique quomodo etiam in amore Dei aliqua inordinatio inveniri possit patebit artic. sequen. ubi ostendemus quo pactò etiam suo modo virtutes theologicæ dici possint in medio consistere. Ad Confirmandum, medium rationis in virtutibus, non in indivisibili consistere, sed aliquam habere latitudinem iuxtà prudentia dictamen; liberalitas verb. gr. Principi pro medio proponit, ut possit quotidiè donare centum aureos, hoc inquam, medium proponit ei atque præscribit recta ratio; non tamen si unum, aut alterum adiiciat censetur à medio recessisse; item temperantia in potu duos, vel tres sciphos proponit pro medio; non tamen censeris intemperanter bibere, si quid modicum adiicias, ut verb gr. tertiam sciphi partem; Imò hoc maximè patet in virtute Iustitiæ, non obstante, quod communiter dicatur consistere in medio rei, & non rationis; nam hoc quoque medium interdum aliquam admittit latitudinem, ut constat in reum pœtiis, quæ lege imposita non sunt, datur enim summum, medium, & infimum, ut infrà patebit.

Hic autem advertendum est cum Arist. 2. Ethic. cap. 8. quod 51
quando virtutem dicimus medium tenere inter duo opposita vitia, non ità intelligendum est, quasi pari passu ab utroque recedat, & cum utroque æqualiter pugnet, sæpè enim magis accedit ad unum extremorum, quàm ad alterum ut liberalitas magis accedit ad prodigalitatem, quàm ad avaritiam, fortitudo minus abest ab audacia, & temeritate, illique est similior, quàm ignavia, & virtuti nonnunquam magis repugnat vitium per defectum, quam per excessum, interdum verò è contra, ut liberalitati magis repugnat avaritia, quæ est magis per defectum, quam prodigalitas, in qua per excessum peccatur, & fortitudini magis repugnat intemperantia, ut ebrietas in potu, quàm insensibilitas, mansuetudini iracundia, qua lenitas, & tarditas in irascendo. Ratio autem huius maioris, vel minoris repugnantiæ est, quod unum extremorum vitiorum magis à recta ratione deficit, quàm alterum; cùm enim virtutes illæ sint constitutæ ad moderandas passiones, ad quas natura sumus propensiores, hinc fit, ut vitio illi, ad quod nos magis passio inclinat, virtus magis repugnans censeatur, ut quia temperantia est ad moderandam passionem concupiscentiæ cibi, ideò magis opponitur intemperantiæ, quam insensibilitati, & mansuetudo iracundiæ, quam lenitudini, & tarditati, & sic de aliis.

Dicendum secundò, medium in qualibet morali virtute, 52
etiam in ipsa iustitiæ materia, de qua est maior difficultas à sola ratione taxari, vel determinari, & per consequens esse medium rationis, & non rei. Hæc ponitur contra Thomistas, & Recentiores communiter asserentes Iustitiam habere medium rei, non rationis: Ità Doctor 3. *dist. 34. quæst. 1.* Et 4. *dist. 15. quæst. 2. art. 2.* & Scotistæ passim Mairon, 3. *dist. 37. qu. 2.* Aretin. 5. *dist. 33. qu.* Vulpes *disp. 119. art. 2.* Maior 2. *dist. 36. quæst. ult.* Buridanus *l. 5.* Ethic. *qu. 13.* Probatur primò ex definitione virtutis ab Arist. tradita in generali 2. Ethic. c. 6. quod est habitus electivus in mediocritate consistens quoad nos definita, à ratione, ut definierit ipse prudens; quæ definitio tradita est essentialiter per medium rationis tantum, & cuius virtuti morali univocè convenit; atque ideò medium cuiuscunque virtutis moralis est tantùm rationis. Nec valet subterfugium Vasquez d. 86. c. 8. dicentis Arist. per illa verba significasse tantùm medium in qualibet virtute morali per prudentiam proponi, non verò determinari, vel taxari. Nam verba Arist. loco cit. sunt, quod *virtus est habitus electivus in mediocritate quantum ad nos consistens, quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit, atque ità ut prudens præfiniret.* Non itaque ait mediocritatem in obiecto virtutis proponi tantum à ratione per simplicem eius apprehensionem, secundum quod est à parte rei, sed ait determinari ab ipsa ratione, & præfiniri.

Hoc